

P V I S

1 6 1 1





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ec. 50.



5  
BARPTOLEMÆI  
BILOVII

Q 1573  
EPIGRAMMATVM

LIBELLVS XVII.

Qui facer est.

In Symbolum M. Barptolemæi Bilovij  
Poëtæ nobilis Cæs.

*Qui patiendo hosteis vicit, me roborat idem*  
CHRISTVS; *onus durum vincere disco, passus*

NICOLAVS PELARGVS

P. L. Cæs.



MAGDEBURGI;

---

*Typis Andreae Dunckeri.*



ORNATISSIMIS ET PRAECLA-  
ra Indolis ac spei pueris, IOHANNI, & DANIELI PELARGIS, CHRISTOPH. F. S.

**D**Eum testor, suavissimi humanissimi parentis filij, quanto ego vos semper amore amplexus sim, dum vixi vobiscum. Neq; vero frustra. Constat enim quot & quàm magna beneficia à parente vestro habeam: qui me ignotum tam amice, tam liberaliter, præter omne meritum, desertum penè ab omnibus excepit: Quare quidquid ad fidua diligentia consequi possum, id omne ad ampliandam nominis vestri celebritatem non immerito dirigo atq; compono. Et quoniam meæ curæ crediti fuistis, Deum præpotentem indefessis precibus pro vestrà salute sollicitabo. Hic vobis suo Spiritu præsens & perstans adsit: ut insignis & admirabileis ingenij doteis ità exercetatis: ut ad nominis sui gloriam omnia vergant & finiant. Hic vos diu nobis, & parentibus vestris, atq; adeo toti familiæ salvos & incolumeis conseruet: ut seriùs in celum fraterculum piè in Christo defunctum, sequamini. Interim, quod hætenus non sine magnâ voluptate observavi ex vobis, Musis strenui incumbite: ut cum ætate simul in moribus, & literis & vera pietate, augmentum & fructûs salubreis capiatis. Id quod vobis parvò hóc munusculò ex animi sententia precor & opto. Valete.

*M. Barptolemaus Bilovius à Bilov.*  
*Poëta L. Casarius.*





Prov. 2.6.



*Provenit aetheria à summo sapien-  
tia Jovâ,*

*Qui sœvit verbo promere ve-  
ra suo.*

*Cognitio rerum doctrinâq; pro-  
fluit ore*

*(venit.  
Illius; hac etenim non aliunde*

*Joh. 3.*

*Sic Deus dilexit mundum.*

*Sic Reçtor celi nostri flagravit amore,  
Ut nobis natum, maxima dona, daret.  
Credentes in eum ne aternâ morte perirent,  
Sed peterent summi celica regna Dei.*

*De nomine Iesu.*

*Est nomen Jesu super omnia nomina nomen,  
Et omnium dulcissimum.  
Hoc fugit auditò scirposus nomine Daemon,  
Teterq; Tartarus tremit.  
Amittit mors omne suum mœstissima robur,  
Calens Gehenna exstinguitur.  
Mitigat humanos hoc nomen dulce dolores,  
Solatur & firmissime.  
Te Suboles igitur placati Numinis oro,  
Hoc cui pater nomen dedit;*

*A 3*

*Radices*



*Radices in corde meo fac figat ut illud,  
Ad ultimum vitæ halitum.*

De Nativitate Domini nostri Iesu Christi.

**O**ptime CHRISTE puer, de virgine nate pudicâ,  
Exaudi vocis murmura pulla mea.

Ut divina tui me Flaminis aura gubernet,  
Et mihi amica parem scribere grata Tibi.

Ad puerum Iesum puerilis oratio.

**P**arvole CHRISTE puer de virgine nate pudicâ,  
Ne nostras durâ rejice mente preces.

Dum nostram carnem tibi jungis & induis artus,  
Nosq; facis partem corporis esse tui.

Non etenim ut Deus adpares, neq; dives honorum,  
Murmura sed pueri fingis & ora novi.

Nos hæc in visis ceu Rex orbisq; Monarcha,  
Pauper & in vili nonne locò recubas?

Ergo Rex noster Deus, & servator Jesu,  
Sed tamen adsumitò corpore factus homo.

Clementer queso puerileis adspice cætus,  
Et rege nos nutu vivificaq; tuo.

Vi cum pectoribus sanctis divoq; senatu  
Laudibus os nostrum te sine fine canat.

Sedulitas omnia efficit.

**S**edulitate cavat lapidem res mollior unda,  
Sic studio doctus fit studiosus homo.

AD



AD CHRISTOPHORVM PELAR-  
GVM S. Th. D. & Prof. in Acad.  
Francof.

**N**on mirum, tellus quod mæsta, PELARGE, tre-  
miscat,

Omnia enim soli sunt inimica solo.

Hostem non tantum Rectorem sentit Olympi,

Hujus quando minis terret & urget opus.

Aduersos etiam ventos sibi cernit & hosteis

Mortaleis, gremio quos alit ipsa suo.

Idcirco tellus sive experiatur Fova,

Sive Noti vireis, sive minas hominum.

Seu propè decrepitam consideret ipsa senectam.

Conquassata gravi mole tremiscit humus.

Insaper adstat Atlas defessus & omnia turbat.

Amplius ac tantum ferre recusat onus.

Armat at immotos homines audacia pugnae,

Qua firmâ pollens impietate fuit.

Hæc dulcore suo instigant, quos crimina inundant,

Confirmant, tremulos quos sua culpa facit.

Nos igitur quotiens tellus excludere tentat

Hospitio, & finem spectat origo suum.

Impietas infracta ruensq; audacia cæco

Impete, restitunt sedibus usq; suis.

A :

AUGO

AD



Aurora Musis amica.

**I**N studiis quicumq; cupit procedere felix,  
Pectoris atq; animi robur habere sui:  
Sub Lunâ justo det tempore lumina somno,  
Tollat & aurorâ mané micante caput.  
Cura etenim adfligit, si vespertina, salutem:  
Corporis hæc nervis, ingenijq; nocent.  
At matutinum tempus Titane reducto,  
Si sapis, ad Musas aptius esse putes.  
Horula mané etenim semper plus efficit una,  
Quàm post sumta dies prandia tota potest.

De Castitate.

**A**Vctor ut æternus rerum castissima mens est,  
Dedita sic adamat corda pudicitia.  
Spiritus immundus contrâ est Rex ater Averni,  
Impellitq; homines ad mala tamta comes.

De pœna libidinis & neglecti officij.

**E**st casta qui mentis amans vitæq; pudica,  
Impuros odij verberere FOVA ferit.  
Et ferit illicitos & fulmine corripit igneis,  
Si quis adulterij flectitur obsequio.  
Accidit exemplum memorabile in orbe Mysorum,  
Quâ jacet ariferis cincta Fribergajugis.

Cum



Cum Magicò studiosus homo dum fœdus inibat,  
Virginis optatò ut posset amore fui.  
In conclave miser deducebatur, amice  
Copia ut esset, at hunc forma fefellit iners.  
Nam juveni (horrendum!) sese obfert forma puella  
Ficticia, hanc manibus tangere fortè cupit.  
Sub specie Nimfa adprendit phantasma Satanae,  
Adceleratq; citò Mors violenta gradu.  
Parietibus qui illi adliso cellarij ademit,  
Qui sub mortali corpore flatus erat.  
Sicq; adeò officij neglecti & turpis amoris  
Sat tragicas penas exitiumq; tulit.

De liberorum inobedientià.

Qvisquis, ceu fas est, non mactat honore paren-  
teis,  
Omnibus infelix ille diebus erit.  
De puer o Iesu.

CHRISTUS obediens de cor de parentibus imò,  
Officium nati prestitit atq; hominis.  
Quisquis es, hunc dominum puer, hunc imitare ma-  
gistrum,  
Proveniet merces non levis inde tibi.

1. Joan. 3.

In hoc apparuit filius Dei ut destruat  
opera Diaboli.

A 4

Sedi



**S**edibus à superis est CHRISTVS missus in orbem,  
Ut validò Satana numine perdat opus.

De Novò Annò.

**P**risca velut tandem sua cornua cervæ reponit.  
Et veterem serpens exsuit agra cutem.  
Sic debent pueri antiquas deponere sordeis,  
Annus ut & vitæ sors melioris eat.  
Sic illis aderit vivi Deus auctor honoris,  
Et surgent docti lumina summa viri.

Ad puerum Iesum precatio.

**P**arvole te JESU ferventibus ambio votis,  
Qui de Jessaâ virgine natus homo es.  
Vivificante tuo puerum me spiritu adimple,  
Parvus pro magnis pusio facte reis.  
Gratus ut hæc menti magmenta agnoscere possim,  
Atq; tibi grates corde paratus agam.  
Et quoniam laudes parvorum colligis ore,  
Irradies hoc cor lumine quæso tuo.  
Majori studio Clarijs ut luçter in arvis,  
Laudiq; ingenium serviat omne tua.  
Anni quò ingrediar fac ordia fausta recentis,  
Et claudam metâ prosperiore diem.  
Sic accepta canam tibi carmina, grata pusille  
Natalem latus cum celebrâro tuum.

Musica



*Musica mulcet Deum & homines.*

*M*usica flammantis delectat Numina celi,  
Et menteis hominum recreat atq; feras.  
Namq; Deum in celo celebrat gens aethere nata,  
Cantibus hanc fetis gens pia laude vehit.  
Tristitia Flamen cithara resonante fugatur,  
Musica naturam non finit esse feram.  
Idcirco non est ars contemnenda canendi,  
Quilibet hanc summam sedulitate colat.

*Adhortatio ad studia.*

*A*gricola in calida qui non aestate laborat,  
Non alimenta hyemis tempore grata capit.  
Sic homo in aetate qui discere vere recusat,  
Dedecus ille senex damna famisq; feret.

*Deus superbis resistit, humilibus autem  
dat gratiam.*

*M*ente superba sic reliquos qui spernere suevit,  
Hunc homines odio prosequiturq; Deus.  
Quapropter si vis ut sit tibi fautor Jova,  
Fac latebris cordis fastus ut exsul eat.  
O nimium felix ille est iterumq; beatus,  
Sideria superum cui pater arce favet!  
Ebrietas homini studioso imprimis est fu-  
gienda.

*A S*

*Ebri*



**E** brietas cuncta exsuperans peccata potenter  
Inprimis studijs est fugienda bonis.  
Hoc etenim offendit scelus insuperabile Numen,  
Expellitq; sacro Flamen amore sacrum.  
Virtutem domat; atq; ardentia vota precesq;  
Confunditq; boni mens bona quidquid agit.  
Munera debilitat valida jucunda salutis,  
Et properata necis funera saepe vehit.  
Numinis ergo diu templum si vivere gestis,  
Sobrius, ut vivas, sis; crapulamq; fuge.

Historia, quæ Fribergæ in Misniâ accidit.

**N** Vm pater, aut mater subolem ablegaverat, aut  
quò,  
Nescio, sed stando dum trahit ille moras;  
Ecce parens subitas furys ardescit in iras,  
Stes, ait; E numquam mihi rediturus eas,  
Se nullâ poterat suboles ratione movere,  
Sed stetit ad rabidi mox maledicta patris!  
Pulpita nocturno posuere supina parentes  
Tempore, quæ immoti corpora fessa ferant.  
Quæ per treis annos vestigia presserat eheu,  
( His oculis vidi ) conspiciuntur adhuc.  
Deinde sedens ibi adhuc, consumsit quatuor annos;  
Signa pavimento sunt manifesta pedum.  
Pallidus ac tristis macilentò sessitat ore,  
Interdum loquitur pancula; triste sonans.  
Quomodo



*Quomodo res sese, si quando rogatus, haberet,  
Pauca brevi timidus murmure verba dabat:  
Fra Dei justa est, stando me pœna cohercet,  
Hanc mora sera luit, quam meruere mora.  
In manibus, tandem quid de me fiat, fove est:  
Vita sed eternâ feta salute manet.  
Elapsis illis septem infeliciter annis,  
Amplius hunc potuit non tenuisse locum.  
AEdibus egressus Patrijs fora lata petivit,  
Adspiciens patria tecta superba sua.  
Extimploq; domum pede non remorante reversus  
In verâ vitam finit ille fide.  
Jussa verendorum ne negligite parentum,  
Ultrix ira Dei corda proterva ferit.  
Ne natis, caveat, malè dicat & ira parentum:  
Vota patrum bona sint, seú mala, pondus  
habent.*

**F**Vic hic adolescens Chilianus Richteri filius Ioannes  
in vinaria platea, M. Michaelis Hempeli præcepto-  
ris mei condiscipulus, ob formæ venustatem reliquis e-  
iusdem parentis filijs, qui omnes erant mutili, & incur-  
vis pedibus, ut etiam filia, quam habebat, unica, facile  
præferendus. Hic idem, ut publicè in Gymnasiô Friber-  
genſi ab ipſo, quem dixi, Hempelo Rectore audivi, omni-  
um liberorum pientissimus fuit: barbamq; (quod mi-  
rum) prolixam aluit &c. Obijt 1552. 11. Sept. & ut  
quidam volunt, peste.

Ange-



Angelorum & Diabolorum brevis collatio.

**A** Ligeri juvenes sine corpore nostra tuentur  
Corpora, at impugnant tartarij lemures.  
In nostris alata vijs nos agmina servant,  
Decipit & superum Pluto recludit iter.  
Celica dum nostrâ pietate caterva triumphat,  
Excitat atra suos copia ad omne malum.  
Flammea gens nostras animas transponit Olympo,  
Impium in inferni gens stygia, antra rapit.  
Ergo Dei suboles te supplice voce rogamus,  
Tu nobis vigileis agminis adde tui.  
Ut sint nobiscum, nos ut comitentur ubiq;  
Et Satan in nos nil juris habere queat.

De plantulis.

**V**sq; adeo moriuntur humus fert semina: demum  
Dulce peroptata frugis aroma ferunt.  
Cogitur intentus studijs incommoda ferre,  
Quam prius excelsi culmen honoris adit.  
Contra pigritiam Salomon 6.

**S**urge piger, quâ parva meat formica, meato:  
Provida quæ parvô colligit ore cibum.  
Hæc sit vera tibi sapientis norma laboris,  
Exemplarq; tibi sedulitatis eat.  
Est etenim Musis, Dea prævia lucis, amica,  
Et studij mirâ provehit arte decus. ---  
Et matutinô qui dat se tempore Musis,  
Crede mihi parvô tempore doctus erit.

Qui



Qui vitia odit, homines odit.

**V**T nullus liquidis cancer reperitur in undis,  
Brachia cui stimulis non acuata rigent.  
Sic non ullus homo fuit & sanctissimus umquam,  
Quem non multa satis crimina abunde notent.  
Hac errata autem sunt talia, pondere magno  
Qua cumulant, possint ut nocuisse bonis.  
Ergo remittatur nobis ut plurimus error,  
Condonando etiam crimina sunt alijs.  
Apicula imago studiosorum.

**C**um minima inter aves sit mater apicula mellis,  
Prædulceis succos efficit illa tamen.  
Cujus in humanâ na vitâ est plurimus usus,  
In medicâ quò non arte carere queunt.  
Congerit hos autem summò indefessa labore,  
Et legit è varijs optima quæq; thymis.  
Pauper & abjectus superos timet artis alumnus,  
Incumbens Musis sedulitate suis.  
Auctior evadens aliquando dotibus artis  
Vt sibi humanis utilis esse potest.  
Et prodesse labore suo valet omnibus æquè,  
Atq; levat studijs hic nocumenta suis.  
Cum schola sit quasi mercatura bonarum artium, indo-  
ctum inde redire turpissimum est.

**A**nxius excipitur mercator jure cachinno  
Qui suscepit iter longum & inanis abis.  
Fecundâ tandem quoq; paupertate premetur,  
Dedecore & vitam finiet ille suam.

Sum-



*Sumtibus Aonidum qui sustentatur alumnus,  
Et nihil addidit dedidicitq; magis:  
In patriam rediens cunctis ludibrio habetur,  
Vita ignominia transigit atq; dies.  
Idcirco tempus bene commoditate locandum,  
Nec fructus ex pers hora eat ulla sui.  
In Spongiam, quæ obferebatur versui includenda.*

**S**pongia ceu maculas delet: dulcissime IESU  
Sic dele vitium pectoris omne mei.  
Da pacem Domine.

**D**A Deus innocua nobis bona tempora pacis,  
Pro nobis nemo, tu nisi bella geret.  
Ad Martinum weinrichium Vratisl.

**I**ngenij bonitate vales: vestigia patris,  
Quod facis, intento pectore perge sequi.  
Suspice majores: audi meliora monentes:  
Plura audire decet, pauca loqui juvenem.  
Majores in luce moras precor Auctor Olympi  
Concedat, patriæ ut commoda magna feras.  
Magna etenim de te spectat; majora parentes:  
Vive boni suboles ingeniosa patris.  
De patientia.

**F**er mala, qua veniunt toleranda: oblivio sortis  
Adversa omnis erit firma medela mali.  
In Symbolum Nicolai Pelargi Bojemi P.L. & Not.  
Publ. Cæs.

Numine Propitio Respiro.

Seu



**S**eu mundi tenebris vexer, sortisve procellis,  
Et Satan invalidum me petat atq; reum:  
Demonis haut metuo fraudes, cassesq; dolosos,  
Mundicrepas q; minas, tartariosq; rogos.  
Lubrica perplexa quidquid fert alea sortis,  
Rideo, quaq; aliis vis nocuisse cupit.  
Numine Propitio Respiro faventibus astris:  
Quod spiro & valeo, nonne Dei hoc opus est?  
Ille secundata donabit tempora vite,  
Et dabit infastos mitius ire dies.

Ad Christum.

**S**i frater fratrem ne tu me desere **CHRISTE**,  
Frater es & carnis portio viva mea.  
Tu quocunq; meem, mi spiritualiter adsis,  
Adsistas lateri fidus athleta meo.  
Omnia procedent successibus acta secundis,  
Et quod agam latum progredietur opus.

In Bibliothecam Christoph. Pelargi D.

**S**alve Pieridum sedes gratissima Phæbo,  
Gratior at Iovæ, siderioq; choro.  
Heic habitant Musæ, Charis & Latonia proles,  
Amplius haut Musas mons Heliconis habet.  
Germinat heic magnus Phæbi Iovæq; sacerdos,  
Heic sedem Svada viva medulla tenet.  
Candida mens Iovæ sacrata volumina tractat;  
Gnavaq; siderias heic meditatur opes.  
Nobilis in longos sedes hac floreat annos:  
Tuq; perennifluâ laude **PELARGE** vire.

D. Barpt.



D. Barptol. Bilov. à Bilovv &c.

**A**d Pueros etiam sese demittere, virtus  
Sapè haud in digna est & gravitate viri.  
Socratis exemplum quis nescit? arundineo ille  
Cum pueris baculo nonne erat usus equo?  
Quem cum filiolis non balbutire parentem  
Cernimus infantes blandè imitando sonos?  
Parva loquor. Nonne & Christus, sapientia patris,  
Ad sese pueros ipse venire jubet?  
Et regnum spondens celeste, his oscula libat,  
Quis solis superum porta ad eunda patet.  
Ad pueros sic se quamvis majoribus aptus,  
Demittens facili carmine Bilovius,  
Et teneris animorum inspergens semina sulcis  
Sacra, bonos fructus hinc pietatis habet.  
Cunradus Rittershusius I. C.

Ad Dn. Bilovium.

**V**tile quod pueris, vulgoq; necesse, Bilovi,  
Reris, & emeritos decrepitosq; juvet.  
Frondeuti decoras hederas, emeritiq; senesq;  
Et pueri pensum vulgus habetq; suum.  
Te pueri meritò celebris vulgusq; Bilovi  
Emeritiq; viri decrepitiq; colent.

Thomas Nivendorphus P. L. & Ecclesiae Me-  
trop. Magd. Can. L. N. P.

F I N I S.




Ja 2400

ULB Halle

3

003 919 226




Sb.

WMT

ma











BARPTOLEMÆI  
BILOVII *Q 1573*

EPIGRAMMATVM

LIBELLVS XVII.

Qui facer est.

In Symbolum M. Barptolemæi Bilovij  
Poëtæ nobilis Cæs.

*Qui patiendo hosteis vicit, me roborat idem*  
CHRISTVS; *onus durum vincere disco, passus*

NICOLAVS PELARGVS

P. L. Cæs.



MAGDEBURGI;

*Typis Andreae Dunckeri.*

